Si vitæ suæ morumq; Magistri, Honoratissimi Auditores, rei literariæ benè consulunt, quando cavent, ut ne
fortè cum Ægyptiorum Regibus altas extruant pyramides, quæ præter ostentationem nihil referunt utilitatis: atq; ita
fidei suæ commissis ea potius student proponere, quibus olim senes facti tanq. coenis Platonicis uti possint: si, inquam,
hâc ratione Bono Scholastico benè consulunt: si hâc ratione quid utilitatis (quæ profectò haut exigua est) in id confe-
runt; sanè, ut ego quidem arbitror, optimè eidem consulunt, longè maximam pariunt utilitatem, quando argumenta e
medio publicorum Studiorum cursu desumunt, nobisq; in Actibus publicis καθόλικα tractanda committunt. Ita namq; est,
quod rectiùs æquè ac feliciùs verba facere nobis de his liceat, quæ intelligimus, et quæ quotidiè audimus, quàm de rebus in-
cognitis, aut quæ à studiis ætatis nostræ sunt aliena, adeoq; supra captum. Ecquis enim stultitiæ insignis eum non argueret,
quem de rebus ignotis satis copiosè, nec minùs audacter differentem audiret? Sicut olim Hannibal, Dux bellicæ artis
peritissimus, Phormionem citra injuriam vocavit omnium delirorum senum maximè delirum, quum ille, licet nunq. hostem, nunq.
castra vidisset, nunq. deniq; vel minimam partem bellici muneris attigisset, aliquot tamen horas locutus esset de Impera-
toris officio, et de omni re militari. Quod ne fortè et mihi accidat, si, quod ipse expertus non sum, laudare ap. alios
auderem, ecce de Argumento satis mihi et Symmachis meis suavissimis noto, sumpto nimirum ab Encomio Poëseos
tam Græcæ, quàm Latinæ, dicam, eò, quod multa tenus hæc, quæ ad utriusq; laudem genuinam, vel maximè faciunt, in
lectionibus Hesiodeis pariter atq; Ovidianis audiverimus. Sed dum hæc mecum cogito, eheu! nulla hodiè studia
in viliori haberi pretio, quàm Poëtica, deprehendo: multæ Scholæ haud favent illis, haut patrocinantur, quin
imò — — — contemnunt versus pariterq; Poëtas.
In multis Scholis ne quidem attingitur ea pars doctrinæ puerilis, quæ fundamenta continet necessaria ad Poësin. In aliis
vel ipsi Docentes rem poëticam l. parum curant: l. si Magistri curant alicubi, tamen discentes ita sunt oscitantes, ut
ne conentur quidem meditari unius versiculi examen grammaticum. Nonnulli fascinati sunt acerbi illâ opinione: Stu-
dia Poëseos, etiam illa, quæ ad Grammaticam solam pertinent, prorsus esse inutilia: et ne attingenda quidem censent
iis, qui Poëtæ non sunt futuri: unde magnus eorum in Scholis adolescit numerus, qui ne versum quidem Græcè l. Latinè
pronunciare possunt. Hi quantum in cognitione utriusq; sermonis jacturam faciant Studiorum suorum, paulò post
demonstrabo: ubi priùs scopum Orationis meæ protulero. Non verò, Auditores, de Tithoni cicadis, Lyricorum
ranis et Myrmidonum formicis; sed de rebus gravissimis me loquentem audietis: monita quippe illustria audie-
tis, quæ quidem ad omnes, qui in pulvere desudant Scholastico, pertinebunt, et illos eò impellent, ut summâ diligentiâ
in exercitationem scribendi carminis incumbant, et à primis annis Poësin ament, ac de eâ rectè judicare di-
scant. Vos interim, vos Summates Viri, inclutæ hujus Urbis Proceres: vos item, cujuscunq; dignitatis estis et
status, Auditores suspiciendi omnes, aurem paulò faventiorem ut mihi concedatis, quò mea hæc Oratio, quæ humi-
li serpit pede, nec tragico superbit cothurno, ad metam præfixam possit pertingere, studiosè peto, obnixè comprecor.
Vos verò, magni Apollinis qui estis incrementum, vos Juvenes puto Philosophos, quin meæ faveatis linguæ,
non est, cur dubitem, quia rem maximè vestram nunc agi percepistis. Certè itaq; si quid unquam vos, ò mei sub eodem
Palladis vexillo Commilitones suavissimi, ad Poësin ambabus, quod dicitur, ulnis amplectendam hortari valebit,
maxima ejusdem erit honestas, quæ de illâ amplectendâ, exosculandâ, excolendâ vos commonefaciet: siquidem
nobilem Poësin nec Creta Jovis patria invenit; nec Curetes, qui cunas Jovis observâsse feruntur, primi ex-
cogitavêre; nec Delus, in quâ Apollo natus; nec Cynthus, in quo Mercurius sese editum gloriatur, peperit; sed
ipse DEUS de coelo animis hominum infudit: unde tale omninò donum est, quod propter Autorem Optimum, Maxi-
mum jure optimi, maximi faciendum. Heic ne fortè mihi soli de Poësi mentem hanc esse credatis; audite
quæso in hanc rem è Vetustioribus elegantissimi ingenii Virum Ovidium, cum Ovidio Philosophorum illum Princi-
pem Platonem, cum utroq; albis suis quadrigis instar alicujus laureati Victoris inter Classicos Authores pro-
cedentem Tullium: sic nempè ille:

> Est DEUS in nobis: agitante calescimus illo:
> Sedibus æthereis Spiritus ille venit.

Iste: nemo ad fores poëticas accedere potest, nisi coelesti aliquo Spiritu imbutus. Hic demum: Sic à summis
hominibus eruditissimisq; accepimus, cæterarum rerum studia et doctrinâ, et præceptis et arte constare: Poëtam na-
turâ ipsâ valere, et mentis viribus excitari, et quasi divino quodam Spiritu afflari. Sed postquam hos audistis,
liceat quoq; pace vestrâ è Recentioribus jam accersere Bencium, quem audiatis. Heus itaq; Benci, adsdum,
et dic apertè, quæ tua in hanc rem sit sententia, aut commoda saltem mihi tuum cum affectu nostro appri-
mè conveniens suffragium! Hoc verò est, quod volo: Poëtica in ipsa divina quædam vis est: quæ extollit hominis
animum, ut Superum plerumq; choris immisceat: quod non tantùm eorum indicat nomen, qui alumni ejus ac studiosi cum
sint, divini Vatesq; dicuntur: sed multò magis res ipsa et veritas: ut, quod legitur in Poetarum monumentis,
rectè plerumq; effusum dicatur impulsu instinctuq; divino: DEUS, DEUS, inquam, quoddam videtur Versuum
Scriptoribus implevisse pectus rerum magnitudine occultarum, protulisse facem menti, impulisse digitos, moderatus